



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 27. Regina Regni administrationem abdicans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.

„feratur, edicto ea de re proposito, quod  
„in omnibus Regni Curiis promulgari  
„volo:„ his dictis Rex Senatores admo-  
nebat, ut recte, riteque jus dicant,  
suamque conscientiam erga Deum libe-  
rent, ita, ut omnes quiete, secureque  
degentes in obsequio sibi debito con-  
tineantur.

§. XXVII.

*Regina Regni administrationem  
abdicans.*

*Thuan. l. c.*

**T**um Hospitalius Cancellarius, pri-  
musque Præses orationem habe-  
bant, in qua ferme nonnisi ea, quæ  
Rex breviter proposuerat, ipsi copiosa  
verborum ubertate repetiere. Finito  
hoc sermone Regina assurgebat, atque  
ultra Regni administrationem ab Ordini-  
bus Regni delatam in filii jam ma-  
joris manus se consignare declarabat,  
ubi in publicam obsequii fidem ibat ad  
Regem, qui eam e throno descendens  
aperto capite excepit, illamque amplexu  
honoravit, ac suscepta hoc ritu Regni  
administratione, eandem magis, ac  
antea in suæ Matris potestate futuram  
dixit, cum vero rursus Rex in solio con-  
sedisset, Principes, ac Proceres, qui ad-  
erant, ad Regem perrexere, & flexis  
in terram genibus ei manum deosculati  
sunt.

Per-



Peractis hisce solemnibus portæ aperiebantur, atque multitudo, quæ confluxerat, admittebatur, ubi edictum jam memoratum alta voce a primario Curiae Scriba recitabatur, ac more solito ad preces cognitoris Regii illud promulgatum ad acta referebatur. Ceterum inter illos, qui hac in occasione suum Regi obsequium deferebant, notabatur Odetus Colinius Castillionæus Cardinalis, qui quamvis in quodam Purpuratorum Senatu anathemate percussus, ac Cardinalitia, & Episcopali dignitate a Papa exutus fuisset, nihilominus cum omnibus insignibus more Cardinalium comparere audebat, eaque studiose in omnibus solemnitatibus, quinimo etiam tum deferebat, dum anno sequenti cum Isabella Altevilla Lorea sacrilegas nuptias inibat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

§. XXVIII.

*Decimarum jura Ecclesiasticis per Regis edictum asserta.*

Cum Rex sui juris esset declaratus, Dieppam excurrit, ubi decimarum jura reddebat in favorem Ecclesiasticorum, qui vehementer querebantur, quod indies ipsorum jura everterentur, ac ipsimet semper gravibus opprimerentur vexationibus.

Thuan. l. c.

§. XXIX.